

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Ducatus Brabantia

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

usque ad Nieupoort, totus videlicet *Franconatus* (*t'Vrie*) Opida ejus clausa & non clausa. *Tpra*, ad quam referuntur in Censu & Armis, *Tperen-Ambacht*, *Bellen-Ambacht* & *Cassel-Ambacht*: *Franconatus Campestris* (*Heplatte Vrie*) cujus sortem sequuntur in Censu & Armis *Vuern-Ambacht*, *Bergen-Ambacht* & *Broucborg-Ambacht*. In Gallicana III civitates principales *Lille* (*Ryffel*) *Douay*, *Orchies*. *Tornacense* *Dominium* & *Status* *Flandriæ* adnexus, per se constat tribus membris: *Ecclesiastico*, *Nobilitate* & *v* *Supremis* *Iustitiis*. Vnum vero habet *Flandria* *Episcopum Tornacensem*, *Archiepiscopo* *Remensi* subiectum, in *v* tamen *Dioeceses* *Episcopales* *divisa* est. *Trajectensi* subsunt *IV* officia, *Hulst*, *Axele*, *Affenede*, *Bochoute*. *Tornacensi* subsunt, *Gandava*, *Contracum*, *Aldenarde*, cum illarum *Castellaniis*: *Waes* *territorium*, *Bruga*, *Franconatus* & *Insula* cum sua *Castellania*. *Atrebatensis* comprehendit *Duacum* & *Orchianum*. *Cameracensi* subest *Dominium* *Flandria* *ultra* *Scaldim* *versus* *Meridiem*. *Tarvanensis* habet *Castellanas* *Tpram*, *Cassel*, *Vuerne*, *Bergen*, *Broucborg*, *Belle*. In *Flandria* *Teutonica* sunt *XIV* principales *Curie* *Comiti* *feudales*, *Viesburg* *Gandava*, *Burgus* *Brugis*, *Sala* *Tpra*, *Castellum* *Contraci*, *Curia* *in* *Harlebeke*, *in* *Tielt*, *Domus* *in* *Dcinsse*, *Curia* *in* *Peteghem* *dicta* *Beu-ben*, & *Domus* *Deinle* *subiecta*, *Tribunal* *Aldenarde*, *Burgus* *in* *Vuerne*, *Curia* *in* *Bergen*, *in* *Broucborg*, *in* *Cassel* & *in* *Belle*. In *Flandria* *Gallicana* sunt *III* *Curie* *Comiti* *feudales*, *Sala* *in* *Lille*, *Castellum* *in* *Douay*, *Curia* *in* *Orchies*. In *Flandriæ* *Dominio* sunt *IV* *Curie* *Comiti* *feudales*, *Tribunal* *in* *Aelst*, *Domus* *in* *Dendermonde*, *Prætorium* *Wassæ* *apud* *S. Nicolaum*, & *Castellum* *Beveren*. Ex omnibus *Curis* & *Jurisdictionibus* *dictis* appellatur ad *Consilium* *Principis* *provinciale*, quod est *Gandavi*, inde ad *Parlamentum* quod est *Mechliniæ*. Sed de his satis: ad *Brabantiam* transeo.

## DUCATUS BRABANTIAE.

**B**rabantia maxima parte *Aduaticorum*, *Ambivaritorum* & *Tungorum* *regionem* *complectitur*: *ceterum* *quonam* *tempore* *Regio* *hæc* *Brabantia* *nomen* *nacta* *fit*, *plane* *incertum* *est*: *aliis* *a* *Brenno* *Gallo* *dedicentibus*, *aliis* *ab* *urbe* *quadam* *eiusdem* *nominis*, *cujus* *neque* *in* *terris* *neque* *in* *historiis* *vestigium* *ullum*: *aliis* *a* *Bratuspandio* *Opido* *Bellovacorum*, *cujus* *meminit* *Cæsar* *lib.2.* *Alii* *novum* *Ducem* *committuntur* *Salvium* *Brabonem* *Arcadem*, *qui* *cum* *Cæsare* *in* *Belgicam* *profectus* *est*, *cujus* *uxor* *Suana* *Cæsaris* *Nepotis*. *Sunt* *etiam* *qui* *a* *Gotefrido* *Barbato* *Comite* *Lovaniensi* *Barbantiam* *postea* *Brabantiam* *dictam* *suspiciantur*: *Nomen* *sane* *nuperum* *est*: *quod* *ut* *certo* *constat*, *ita* *origo* *ejus* *non* *constat*. *Longitudo* *Brabantia* *a* *Gembloers* *ad* *D. Gertrudis* *usq;* *sacrum* *Montem* *est* *milliarium* *circiter* *XXI* *I*. *Latitudo* *ab* *Helmontio* *Bergas* *usque* *xx*. *Ambitus* *LXXX*. *Habet* *a* *Septentrione* *Mosam* *fluvium* *quo* *Geldria* *&* *Hollandia* *separantur*. *A* *Meridie* *Hannoniâ*, *Comitatu* *Namurci* *&* *Episcopatum* *Leodiensem*, *qui* *etiam* *ad* *Ortum* *fines* *ejus* *tangit*. *Ab* *Occasu* *est* *Scaldis* *cum* *Comitatu* *Alostensi*. *Regio* *gaudet* *Aëre* *salubri*, *planitie* *fertili*, *Frugum* *inprimis* *feracissima*, *tametsi* *Campania* *sive* *Campinia* *de* *Kempen*, *ob* *arenas* *fit* *sterilior*. *Quæ* *tamen* *pars* *non* *omnino* *infertuosa* *existit*. *Urbes* *hujus* *Ducatus* *sunt* *XXVI*. *Lovanium* (*Loven*) *antiquissima* *est*, & *prima* *Grudiorum* *sedes*, *in* *qua* *Dux* *publico* *Sacramento* *se* *obstringit*: *Comitatus* *quo* *nam* *titulo* *insignita*. *Urbs* *est* *amœna* *prolatia* *aliquoties* *pomœtiis* *extensa*; *ejus* *ambitus* *intra* *muros* *est* *quatuor* *mill. pass.* *Fluvio* *irrigatur* *Dela*.

Statu Ecclesiasticus.

Jurisdictionis.

Regio. Unda dicta.

Situs.

Aëris temperies. Solis fertilitas.

Brabantia



*Bruxella* (*Brussel*) urbs splendida est & magnifica, duplici muro munita, sita solo fertili, rerumque omnium abundanti. Mirum, tam numerosæ Civitati, advenis quamplurimis, Ducis aulae, & peregrinis Principibus cum universo satellitio illic agentibus, omnia semper benigne & copiose potuisse suppeditari. *Antverpium* vulgo *Antwerpen* vocant, Galli *Anvers*, Itali *Anversa*, Germani *Antorff*. Petrus Appianus putat eandem esse cum Ptolemæi & Cæsaris *Amactio*. Nomen *Antverpia* creditur esse a projecta manu. Nam Gigas quidam Druo qui hæc loca ante C. Cæsaris adventum infedit, prætereuntibus si dimidium suarum Mercium non solvissent, manum dexteram præscindebat, eamque in profluentem abjiciebat: argumentum sunt ipsius urbis insignia, & ossa quadam immania quæ in Curia hodieque adservantur ipsius Druonis, quem alii Antigonum vocatum dicunt. Sed hæc fabulosa Illud verò similius; nomen datum ab Indigenis ab aggestu terre ad Scaldim, hoc enim Belgis est *Antwerpen*: nam aggeribus oppositis flumen pariter angustius reddiderunt & profundiorum ejus alveum. Sita est ad flumen qua id profundissimum, grad. Long. xxvi min. 42. Lat. l. i. min. 58. Distat a mari i v. mil. pass. Mechlinia totidem; Lovanio octo; Gandavo x. Brugis xv; Bruxella i x; Londino lx; Colonia Agrippina xxi x; Francofurto lx. Ter muro cincta fuit. Primum arctiore ambitu, Anno m cc i: Postea ampliore, Anno m ccc xiv, qui annus fame, ut sequens pestilentia notabilis fuit. Denique ad Septentrionem extensa pomeria Anno m d x l i i i. Ambitus est extrinsecus quatuor millium pass. octingentorum & duodecim. Fossæ intra Urbem ex fluvio derivatæ aptæque maximis plurimisque navibus recipiendis sunt octo. Mercimonia omnem fere æstimationem superare solent. Guicciardinus eam inivit rationem, ut demonstrarit singulis annis commercia excedere duodecim milliones coronatorum: cujus calculus rebus Antverpianis florentibus non modo non superavit, sed ne æquavit quidem justam æstimationem. Proinde merito cecinit Iulius Scaliger:

*Opida quot spectant oculo me torva sinistro  
Tot nos invidia pallida tela petunt.*

*Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma*

*Buscoducum* seu *Silva Ducis*, vernacule *Hertogen Bosch*, Gallis *Bolduc*, nomen habet a *Silvis*. Urbs est ampla, amœna, firmiter munita, sita ad rivulum *Dysam*, altero lapide a *Mosa*, duodecimo ab *Antverpia*. Atque hæc sunt quatuor urbes primariæ, quarum tres primæ cum *Nivella* Marchionatum constituunt sacri Imperii. *Mechlinia* a quibusdam *Brabantia* adnumeratur, revera tamen ab ea distincta est; urbs alias pulcherrima & nitida; Archiepiscopatu insignita, & sede Ampli Consilii ad quod ultima est in Belgica provocatio. Urbes præterea in *Brabantia* sunt *Trajectum ad Mosam*, vulgo *Maastricht*, *Lira*, *Vilvoorda*, *Gemblacum* (*Gembloirs*), *Ju-doigne*, *Hannus*, *Landen*, *Halen*, *Leeuven*, *Sichenen*, *Herentals*, *Eindhoven*, *Helmont*, *Grave*. Sunt & Municipia complura, nondum muris cincta, *Oostmryck*, *Oorschot*, *Turnhout*, *Duffel*, *Waelm*, *Merchtem*, *Afche*, *Vueren*, *Duisburch*, *Hulpen*, *Wavre*, *Breine*, *Genape*, *Gheele*, *Arendonek*, *Dormal* & *Isca*. Sunt & pagi in super d cc. Referuntur etiam ad *Brabantiam* Dominatus *Ravestein*, Ducatus *Limburgensis*, cum *Domi-*  
nati

natu Dalem & Valckenburg. Lacus, Stagna, & Flumina non parum adferunt commodi Brabantiae. Horum autem principes *Mosa & Scaldis*. Sunt & alia minora. Silvis quoque abundat regio, quarum praecipuae sunt quinque, *Soniensis, Saventeloo, Grootenbout, Grootenheist & Meerdal*. Opera publica tam sacra quam prophana hic sunt plurima: Inter ea Templum Lovaniense praecipuum, est Divo Petro sacrum, magnificentum valde & sumptuosum. Bruxellae templa sumptu excellent, egregia & debita suppellectili ornata. Edes quoque sacras habet Antverpia plurimas, inter quas *Edes B. Virginis amplissima*. Alia hic & in aliis locis quae pene innumera sunt, praetereo: atque etiam Opera prophana plurima: Palatia, Nobilium domos, Atres, Castella & ejusmodi. Ceterum Status Politicus Brabantiae tria habet Membra: Ecclesiasticos, qui sunt Abbates, *Afflighemensis, Grimbergensis, Tongerlo, Grunendalensis, S. Gertrudis Lovanii, S. Bernardi, Vlier, Dieleghem, Parickensis* prope Lovanium; *Vlierbekenensis* prope Lovanium; Prior magnus Ordinis, *S. Augustini in Leewe, Gemblacensis* (*Gemblours.*) Nobiles qui sunt, Abbas *Gemblacensis* Comes; *Dux Arschotensis; Marchio Bergensis ad Sommerivulum.* Barones, *Diestensis, Bredanus, Boxtelensis, Gaebeekensis, Wesmael, Petersem, Perweys, Hoochstratenensis* nunc Comes; *Renes.* Domini, *Aschensis, Merchtenensis, Vuerne, Gheel, Lummen, Thurnout, Oosterwiick, S. Oedenroy, Walem, Duffel.* Civitates 1 v principales; *Lovanium, Bruxella, Antverpia, Buscoducum,* de quibus supra. Statum ejus Ecclesiasticum quod attinet. Partim paret *Leodensi Episcopo*, partim *Cameracensi Leodensis Curiam & Magistratum Ecclesiasticum* habet Lovanii; *Cameracensis, Bruxellae.* Academiam habet Lovanium celeberrimam: de qua in generali Belgii descriptione uberius. Brabanti hilares, festivi, in scenicis comicisque moribus immodici, teste Lemnio. Praeter Brabantiam continentur hac Tabula *Ducatus Juliacensis & Cluensis.* Horum ergo Statum Politicum ex Mercatore adjiciamus. Status Politicus *Juliacensis* constat similiter 111 Membris quae sunt Ecclesiastici, videlicet Abbates, & Collegia Canoniorum ac Monasteriorum: Nobilitas: Civitates. Praefectura ditionis 24, *Caster, Brugge, Born, Boisseler, Euskirchen, Munsereyffel, Moniau, Eschwiler, Grevenbroich, Wassenberg, Geilenkirchen, Hensbergh, Duren, Thonberg, Berchem, Heimbach, Wilhelmstein, Gladbach, Millen, Rosgenraya, Norvenich, Nuenen* Comitatus, *Juliacum, Nideken.* Cluensis similiter tres Ordines continet, Ecclesiasticum, Nobilitatem & Civitates. Satrapa autem sive Praefectus Provincialis Cliviae has sub se habet Civitates 8: *Cliviam* Metropolim, *Calcariam, Sonsbeke* ubi residet, *Santen, Burick, Udem, Griet, Grietbusen.* Praefectura vero hic sunt 14, *Cranenburg, Duffel, Gemep, Goch, Orsoy, Huesen,* juxta Arnhem, *Lymers, Emmerick, Hetter, Aspel, Ringenburg, Bisselick; Dinslaken* Praefectura, in qua sunt 1 v Civitates, *Dinslaken, Wesel, Dussburg, Schermbeck, Holte.* *Dominium Ravesteyn* adnexum est Curiae Clivicae.

Lacus.  
Flumina.  
Silva.  
Opera publica.

Scholae.

Mores.